

nerit Codex, liquet e clausula miniata: *Iste liber est emptus ad expensas magistri Cholomanni In probstorf*, cujus abrador non aliud conatus sui pretium rulit, quam ut curiosi lectoris in indagandis literarum vestigiis patientiam exerce-
ret.

CCXCVIII.

R. 2279 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 122. f. per duas columnas luculente scriptus, rubricis distinctus, et quondam *Monasterij Sancte Dorothee in wienna*, quod Collegium Canonicor. Reg. S. Aug. fuit, continet *Explanationem S. Hieronymi in Jeremiam Prophetam*. Initium Prologi est: *Post explanationem duodecim prophetarum esaye. danielis. et ezechibelis &c.* Sequuntur omnes VI. Libri cum suis ad *Eusebium Praeloquiis*, ut Edit. *Vallars. T. IV. col. 833.* textu Prophetae literis majusculis exarato, correctione tamen multum infra Edita.

II. fol. 90. p. 2. continuo *Expositio beati Jeronimi in lamentationes Jeremie*. Libris III. quorum I. de primo et secundo *Alphabeto*, II. de tertio *Alphabeto*, III. de quarto *Alphabeto*, quibus accedit *Oratio Jeremie* et demum *Clausula miniata: Explicit liber commentariorum beati Jeronimi in ieremiam*. Serione haec? Certe; si *Longii Bibliothecam sacram* audis, quae T. II. *Paris. 1723. p. 1122.* inter *Scriptores in Threnos* refert *Hieronymum*, et p. 776. dum *Editionem Martianaeam* recenset,

Tomo III. adsignat Commentarios in quinque Prophetas Majores et in Threnos Hieremiae. At enim frustra tu Tomum illum adieris. Nullus in *Lamentationes* scripsit *Hieronymus*, qui curis, valetudine, senio praepeditus ne de ipsa quidem Prophetia plus ad nos transmissit, quam XXXII. priorum *Capitum Explanationem*. Quo igitur nostram referemus? Ne te teneam, sume in manus *Tomum IV. Opp. Hraban Mauri edit. Colon. 1626. f.* eamque reperies *Commentariorum ejus in Hieremiam* postremos III. *Libros XVIII. XIX. et XX.* a pag. 136. constituentem. Licet vero imposturam suspicari. Initium Praefationis in *Editis B. Hieronymi* meminit. Multis igitur lineis omissis *Librarius* noster ibi demum orfus est: *Habes in lamentacionibus ieremie quatuor alphabeta &c.* Ita et sub finem in iis verbis stitit: *In qua uniuersitate nimirum et ipsi iudei comprehendantur; ratus fortasse multa illa, quae in Editis sequuntur, recentiora Hraban tempora nimium redolere.*

CCXCIX.

R. 2277 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 258. f. maj. paene quadro per duas columnas luculente, pulcreque exaratus, coloribus illustratus, et quondam, ut praescribitur, *Monasterij Sancte dorothee vienne*, titulum habet: *Incipit expositio sancti Jeronimi presbiteri in ezechielem prophetam*. Praeit Prologus ad *Eustochium*

virginem, in quo fatis acerbum illud Elogium funebre *Rufini* inimici in *Sicilia* defuncti: *Scorpius* inter *Exceladum* et *Porphyrum* *Trinacriae* humo premitur. Restituit feliciter hoc loco *Vallarsus* et *Masseius* *Porphyrionem* pro *Porphyrio* T. V. Opp. *Hieronimi* col. 3. At mox initio *Expositionis* relictum a *Martianaeo* infigne σφαλμα non sustulere: a duodecimo anno *Josae* Regis *Juda*. Repono e Codice nostro: a duodeuicesimo, consentientibus IV. Reg. c. 22. v. 3. et II. *Paralip.* c. 34. v. 8. et hebraica veritate. Ceterum nec iste suis mendis caret, et quamvis clausula miniata dicat: *Explicit liber sancti Jeronimi presbiteri In ezechielem prophetam*, a verbis tamen: *et multa diuinarum scripturarum sacramenta testantur, et necesse est* — — extrema defunt. Ceterum Περίοδος Prophetæ per decursum literis majusculis descriptæ sunt.

CCC.

R. 3264 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 189. f. maj. per duas columnas luculente et pulcre scriptus, minioque distinctus ad D. *Hieronymum* pertinet, et exhibet I. ejus *Explanationem in Danielem Prophetam*, cujus praefatio hic iis verbis terminatur: *sicut iuxta LXX^a interpretes in titulo eiusdem belis fabule ponitur*. Dein Rubrum: *Explicit prologus. Incipit expositio Sancti Jeronimi presbiteri super danielem prophetam. prout potuit breuiter explanauit.*

*ut eo facilius secreta illius legentibus panderentur quo commatico sermone dictata uiderentur. Hoc opus domino adiuuante ita exorsus est. Vides Librarium interrupisse Praefationem deceptum iis, quae sequuntur: Homo quidam erat sacerdos nomine daniel &c. quibus utique continuatur Praefatio usque ad verba: aliarum gentium literis contineri, Propheta non ita exordiente, sed sic: Anno tertio regni Joakim &c. Commaticum Sermonem ἀπο τῆ κομματος incifum intellige, quod Textus prophetici particulae explanationem interstinguunt. Ceterum omnia integra, ut edit. *Vallars.* T. V. col. 617.*

II. fol. 36. p. 2. *Incipit prologus sancti Jeronimi presbiteri in Osee prophetam. Nempe: Si in Explanationibus omnium prophetarum &c. Sequitur ipsa Explanatio rite in III. Libros distincta, sed Praefationes L. II. et III. ab ipso Commentario non distinguuntur. In edit. *Vallars.* T. VI. col. 1.*

III. fol. 91. p. 2. *Incipit prologus Sancti Jeronimi presbiteri in Abdiam prophetam. Ita: Cum essem paruulus &c. sequente Explanazione. T. cit. col. 359.*

IV. fol. 100. *Incipit prologus in Micheam prophetam. Ita: Micheas in quem nunc &c. Mira hic confusio. Post verba: liberis a parentibus imponuntur, quae Prologum in Editis T. cit. col. 431. terminant, continuat Codex: Nam quod dicunt homines inuidi &c. Atqui haec, et quae sequuntur, partem alteram Prologi in L. II. *Micheae* Edit. col. 479. conficiunt.*

Non